

Ad 2. D. Vox *scepth* interdum virgam afflictionis significare potest cum epitheto afflictionem significante, C. per se in usu biblico, aut saltem in casu nostro N. Hanc enim hujus vocis significationem alterum jacobæi vaticinii hemistichium excludit in quo *voci scepth* sive *sceptro* opponitur vox *legislator*, sive *dux*, prout jam animadvertimus; excludunt præterea cetera vaticinii adjuncta, quibus deprehenditur omnia fausta Jacob ominari Judæ; explodit denique historia, ex qua constat per decem saltem secula florentissimam stesisse judaicam rempublicam, nec quempiam suspicatum quidem esse jugo afflictionis Judæos premi, prout contingere debuisset iuxta novum istud Rabbiorum effugium.

III. Obj. Esto jacobæum vaticinium tum pertinere ad Messiam, tum definiri per illud epocham ipsius adventus, at nondum completum esse plura sunt quæ suadeant. Ac 1. nondum ablatum est sceptrum a Juda, siquidem florentissima adhuc vigent judæorum regna in America, Asia, Æthiopia, aliisque orientalibus plagis; sane R. Benjamin tudelensis in historia seu relatione itineris sui sec. XII. conscripta plura retulit de quodam Æchmalolarcha, seu captivitatis principe e tribu Juda oriundo in Asia imperante, apud quem infinitas esse judæorum copias affirmat suis legibus utentes, rerum omnium ubertate affluentes, et beatissima loca longe lateque occupantes (a). 2. Verum etsi ablatum reipsa esset sceptrum a Juda, nihil exinde ad rem suam constabiliendam adversarii proficerent, nisi simul ostenderent Judæos jus ad amissum sceptrum non amplius retinere, quod romani per summam injuriam jis abstulerunt, quemadmodum jus istud in ipsis perseveravit, quamvis in captivitatem babilonicam abducti fuissent. Quare vel jus istud sufficit ad hoc ut dici possit sceptrum conservari; et in hac hypothesisi apud Judæos adhuc sceptrum conservatur; vel non sufficit, et in hac altera hypothesisi sceptrum defecisset a Juda quinque et amplius seculis ante eversionem hebraicæ reipublicæ, quod nemo dicet. 3. Hinc, ut scite observat Salvador (b) antiqua Hebræorum respublica juxta prædictiones Levit. XXVI. 40. 41. ac Deut. XXX. tum XXXII. 43. in pristinum statum restitui debet; sub respectu vero politico ac naturali status orientis adhuc provisorius est; omnia portendunt proximam Judæorum regenerationem, quæ fructus erit magnæ populorum confederationis, qua pax et felicitas Hebræorum in

quit ut continuatio regni et sceptri Judæ; vel si placet, ut inferius declarabimus, spectari debet cessatio sceptri temporalis Judæ respectu sceptri et regni Messiani, ut cessatio in ordine ad alterius regni substitutionem. Illud interea statui necessario debet, signum aliquod exhiberi jacobæo vaticinio, ex quo dignosci possit, epocham a moriente Jacobo designatam pro Messie adventu transactam esse. Hoc autem signum non haberetur si *עד-כי* continuationem significaret.

(a) Apud Derossi op. c. cap. III. §. 2.

(b) Op. cit. t. III. liv. IV. p. 362.

dies angebitur, mediante aliorum felicitate et pace, ac filii Israel denuo tunc poterunt secundam terram patrum suorum incolere, quæ sterilis effecta est sub passibus islamitarum, poterunt excitare templum Jehovah, legisque palatium restituere. Ergo.

R. N. A. ad 1. prob. D. Plura adhuc vigent florentissima Judæorum regna in fecundissima Rabbiorum imaginatione, C. in hujus terræ regionibus N. Mirum profecto est ejusmodi fabulas adhuc venditare Rabbios in tanta geographiæ luce, qua fit, ut vix aliquis sit terræ angulus, qui probe non cognoscatur. Mittimus pariter, quæ de flumine sabbatico mira ipsi fabulantur (a), ne tempus in ejusmodi commentis serio refellendis projicere videamur.

In eundem censum referri pariter debent, quæ ex eadem officina protulit Benjamin tudelensis ad suos iudificandos. Illud addimus ad tollendas omnes ejusmodi tricas, fœdus a Deo cum hebraica natione initum, ac promissiones divinas ipsi factas alligatas esse Palæstinæ solo, quod ex Pentateucho constat, in eoque proinde compleri debere.

Ad 2. N. Nec enim *de jure* quæstio est, sed *de facto* de quo solum loquitur Jacob, alioquin inutile prorsus fuisset ipsius vaticinium, cum nullum exinde signum Judæi habuissent quo epocham promissi et expectati Messie cognoscere possent. Hinc vetus synagoga non de jure, sed de facto sua possessione sceptri ejusmodi oraculum semper intellexit.

Ex his porro responsio patet ad propositum dilemma; nempe non sufficere jus ut nondum adimpletum censerit possit jacobæum oraculum, sed præterea requiri actualem sceptri possessionem. Nihil vero officit veritati vaticinii intervallum captivitatis babilonicæ, tum quia breve omnino illud fuit, ratione habita tot seculorum, quot sive ante sive post captivitatem illam effluerunt, triginta scilicet plus minus annorum, ut ostendit Tirinus (b); tum quia a prophetis jamdiu certiores facti fuerant Judæi de proxima ejusdem solutione ac reditu, ab Isaia præsertim ac Jeremia (c), atque ex iteratis pro-

(a) Cf. quæ de hoc fabuloso flumine refert ex auctoribus hebræis, præsertim vero ex proluxa epistola quam scripsit Eldad Haddani an. Dom. 1285. ad Hebræos in Hispaniis cl. Bartoloci Ord. Cist. in Biblioth. rabbinica t. I. p. 100. seqq. Josephus lib. VII. de bello c. V. ed. Havere. portentosa pariter de hoc flumine narrat, quodque visum a Tito fabulatur iter faciente a Beryto in Syriae urbes.

(b) Cf. Chronicum sacrum cap. XXXV. conclus. III. quæ ita se habet: « Verisimilius videtur ab an. 11. Sedecie, quo excisus est templum et urbs Jerosolymitana, usque ad annum 1. monarchie Cyri, non fluxisse 70. vel 60. vel 52. annos... sed solum 30. annos » quam deinde conclusionem plurimis argumentis confirmat. In hac sententia exordium 70. ann. servitutis a Jeremia prænunciata sumi deberet ab an. 13. regni Josie. Nam ab anno 1. Cyri quo soluta est captivitas retrogrediendo ad annum excidii templi et urbis non recensentur nisi an. 50. ab excidio urbis ad an. 13. Josie habentur an. 40, qui una cum illis efficiunt an. 70. Sed consulatur idem auctor I. c. Comment. sui in vet. et nov. Test. Tom. I.

(c) Cf. Is. XIV. 1. XL. 1. XLVIII. 20. Jerem. II.

missionibus in ipsa captivitate a Daniele et Ezechiele (a). Et hæc quidem in hypothesi, quod nomine *sceptri* significetur regalis successio; ceterum inferius ostendemus longe verisimilius per sceptrum non designari nisi supremam potestatem ac totius judaicæ gentis collectionem, quo sensu nec captivitatis babilonicæ periodo omnino cessasse potestatem istam compertum fiet.

Ad 3. N. Cum enim, juxta dicta, de facto agatur; et vere constet Palæstinam jam a XVIII. ferme seculis vacuum Judæis esse, quidquid sit de præsentis ejusdem statu, atque de spe futura Judæorum regenerationis, de proxima vel remota populorum confederatione, de ejusdem fructu aliisque ejusmodi, quæ sibi adversarius læta ac ridenti phantasia cum suis omnibus fingit; illud semper verum erit, tum ablatum sceptrum a Juda esse, tum proinde adimpletum Jacobi vaticinium, et quod consequens est Messiam jamdiu advenisse. Quo vero sensu accipi debeant objecta scripturarum loca ex Levitico et Deuteronomio idoneo loco dicemus.

§. II. *Expenditur vaticinium Danielis.*

Daniel in captivitate positus affligebat se coram Domino peccatorum populi sui veniam impetraturus et liberationem ab eadem captivitate, Urbis templique restitutionem. Adhuc autem oranti adstitit Gabriel angelus, qui et veniam promittit per adventurum Messiam, et Urbis ac templi reedificationem, populi reditum ad terram patrum suorum ubi pro septuaginta annorum exilio septuplo diutius usurus esset adeptus libertate. Sic enim Daniele Angelus affatur c. IX. 24. seqq. « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio et finem accipiat peccatum, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadvertete: ab exitu sermonis ut iterum edificetur Jerusalem usque ad Christum duces hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt, et rursus ædificabitur platea et muri in angustia temporum, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio » (b).

15. XVI. 5. XXIV. 5. XXV. 12. XXIX. 10. XXX. XXXI. 9. XXXII. 37. XXXVI. 27.

(a) Ezech. XI. 17. Dan. IX. 2. 25.

(b) שבנים שבעים נחת על-עמך ועל עיר קדשך לכלל השבע ולחם חסאות ולכפר עון ולהביא צדק ולמים ולחם חון וגבא ולמשה קדש קדשים: ותדע ותשכל מן-בזא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד-משה נגד שבנים שבעה ושבעים ששים ושנים ותבנותה ודבר ותרוץ ובזק העתים: ואחרי השבעים ששים ושנים

Animadvertendum porro est hebraicum textum in nonnullis discrepare a vulgata nostra lectione, istæ autem sunt præcipuæ varietates v. 24 pro: « septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, » legitur *rescata sunt*, seu *decisæ sunt*, vel ut alii vertunt *decretæ aut statutæ sunt* (a); sic cod. vers. quod nos legimus « Sanctus Sanctorum » est in heb. *Sanctum Sanctorum* sive *sanctissimum* (b). v. autem 26. verba illa: « et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est » ita in heb. leguntur: « et post 62. heb. extirpabitur aut excidetur unctus (seu Christus) et non ei (c); subsequencia vero. « et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio » ita jacent: « et urbem et sanctuarium destruet populus principis venturi et finietur in inundatione et usque ad finem est bellum, decretum ruinarum (d); v. 27. « et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio » hebr. « et super *extrematatem* (culmen) abominationum vastator, et quidem usque completum et resectum stillabii seu fundetur super vastatum » (e). In aliis minor adhuc est discrepantia: ex his vero patet quoad sensum utramque lectionem convenire, imo majorem lucem adhuc præbere vaticinio hebraicum textum.

His præmissis tria hic pariter ostendere debemus, tum vaticinium Danielis ad Messiam pertinere: tum epocham ipsius adventus determinatum in eo esse; tum denique jamdiu elapsam ejusmodi epocham.

Primum vero evincimus ex ipsis oraculi verbis et adjunctis ejus omnibus, atque ex antiquiorum Rabbiorum ac veteris sy-

לורת כמשה ואין לו העזר הקדש ושחית עם נגד הבא וקצו בשמך ועד קץ מלחמה נחרצת שמכות: הגביר ברת לרבים שביע אחד והצי השביע ישבת דבר ומבנה ועל כנף שקוצים כשמים ועד-כלה ותדנה תתך על-שמים:

(a) Alexandrini habent *επιτεταται* *abbreviatæ sunt*; alii apud Origen. in Hexaplis vertunt *εξεσθαι* *decretæ sunt*; alii, ut Hengstenberg, contendunt significationem *התך* proprie esse *rescare* ex chaldaico et rabbinico *התך*. Verum in idem fere ejusmodi significationes recidunt, et utramque exprimit vulgata per *abbreviatæ sunt*. Scopus enim Angeli est temporis terminum exacte limitare. Cf. Hengstenb. op. c. tom. II. par. I. et II. Berolini 1832. pag. 415. seqq.

(b) Vel ut aliis placet *Sanctitas Sanctitatum* קדשים קדש.

(c) *excisus* fuit absque additamento indicat sine ulla exceptione mortis violentæ genus ut Zach. XIII. 8. ubi opponitur *גל*; prius per gladium, hoc per famem et pestem inferri perniciem denotat. Cf. III. Reg. XI. 6. De impiis Ps. XXXVI. 9. Prov. II. 22.

(d) Cf. Hengstenberg I. c. 475. seqq. Sed verius ad litteram est: *decretum vastatæ*, id est *res vastatæ*, sive *ruinæ*; exhibet propheta h. l. eandem syntaxin ac superius; *hebdomades septuaginta decisæ sunt*, seu *decisæ sunt*; hinc sensus est: *decretæ ruine*.

(e) Ibidem.

nagogæ sensu. Jam vero ad Danielis verba quod attinet ac vaticinii ejus adjuncta, ille promittitur venturus, qui prævaricationem consummet, finem peccato imponat, deleat iniquitatem, atque adducat justitiam sempiternam. Atqui hæc munera propria esse venturi Messiae, seu plenissime hæc per Messiam præstanda esse prophetae omnes unanimiter tradunt, Isaias præsertim LXI. 1. Zacharias III. 8. Malachias capp. III. et IV. ita ut s. Petrus Act. X. 43. de Christo dicere non dubitaverit: « Huic omnes prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum » (a). Rursum ille promittitur venturus, qui vocatur Sanctus Sanctorum, vel si placet Sanctum Sanctorum, Sanctitas Sanctitatum sive Sanctissimum, et in quo visio sive prophetia implenda prænunciatur. Porro si per Sanctum Sanctorum intelligitur persona, prout non solum latina vulgata versio, sed versio præterea alexandr. sive LXX, et Theodotionis indicant (b), hoc sensu nullum dubium superesse potest designari Messiam, qui solus per excellentiam Sanctus dici potest, et revera di-

(a) Τοῦτ' ἄντι πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦντες ἄρσεν ἀνομήτων λαβέντων διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὰ πιστεύοντα εἰς αὐτόν.

(b) LXX. vertunt: καὶ τοῦ χριστοῦ ἁγίου ἁγίων, ex communi interpretatione et unguatur Sanctus Sanctorum; in gr. enim est in accus.; eadem ratione vertit Theodotion, ut patet ex Hexapl. Origenis. II. p. 356. Hinc evidens est hos interpretes Sanctum Sanctorum de persona intellexisse. Sed non soli interpretes christiani, et antiquiores Hebraei modo recensiti, sed ipsi Hebraei sequiores hæc verba non modo personam aliquam, sed ipsissimum Messiam significare fassi sunt, prout fuse ostendit Raym. Martini P. II. c. III. §. 46. adductis testimoniis ex Berescit rabbà Rab. Mose Haddarschan; ex lib. Sanhedrin in distinct. Chelek, R. Alexandri. R. Mosce Nachmanidis Gerundensis aliorumque. Nos brevitate gratia unius Mosis filii Nachman auctoritatem preferemus, qui hæc verba explanans ait: « Sanctuarium sanctuariorum (vel Sanctus Sanctorum) est Messias sanctificatus de filiis David. » Alia præterea testimonia ex Judæorum libris refert Schoettgenius Hor. heb. tom. II. p. 265. seq.

Attamen non desunt qui contendunt non posse verba קדוש קדוש sumi de persona, nisi in sensu translato. Ac primo quidem non posse intelligi de persona ex eo sese arbitrantur colligere, quod voces illæ nunquam de personis in scripturis usurpentur, etsi 45. vicibus occurrant; debere autem intelligi in sensu figurato duplici ratione ostendere nituntur. 1. Quia omnia loca in quibus sermo est de unctione materiali et externa, evincunt ejusmodi unctionem externam non esse nisi symbolum interioris sanctitatis, ut Exod. XXX. 22. seq. XL. 9. seq. collat. Zach. IV. ubi oleum est symbolum Spiritus Dei. 2. Quia plura loca occurrunt in quibus unctio mere metaphorice sumitur ut Ps. XLIV. 8. 9. Is. LXI. 1. III. Reg. XIX. 15. seq. in N. T. dona Spiritus S. vocantur χρίσματα I. Jo. II. 20, 27. Cf. Act. IV. 27. X. 38. II. Cor. I. 21. Ex quo concludunt קדוש קדוש idem valere ac Novum templum Dei, Ecclesiam N. T. ac propterea ejus caput et institutorem, nempe Messiam. Quapropter Messiae unctio nihil significat aliud quam effusionem donorum Spiritus S. ipsi collatam ut suo munere fungeretur, prout legitur Is. XI. I. et in baptismo, saltem quoad externam missionem locum habuit. Cf. Hengstenberg I. c. p. 444. seqq. Cf. etiam Scholl in Comment. de LXX. hebdom. Danielis Francof. ad Menum 1851.

citur Ps. XV. 10. et Is. XII. 6. Quod si, ut aliis magis arridet, Sanctum Sanctorum in neutro genere sumitur, ita ut non personam sed rem denotet, sententia in idem recidit; hoc enim sensu templum mysticum significatur quod spiritualiter inungi debet et templo materiali opponitur quod juxta prophetam destruetur, ac propterea significatur Messias, qui juxta prophetas sedes Dei esse debebat, ut Zach. VI. 12. Ps. XIV. 1. Ps. XXI. 4. imo et Emmanuel, sive nobiscum Deus Is. VII. 14. In ipso vero completæ, seu sigillatæ sunt visio et prophetia, utpote qui solus prophetiarum terminus et finis est. Ille demum promittitur qui appellatur Messias et princeps sive dux (a), qui præterea pactum Dei cum hominibus confirmare debeat. Jam vero etsi in scripturis interdum aliis etiam Christi ac ducis nomen tribuatur, attamen nemo est præter Messiam, qui per excellentiam Christus et dux nuncupetur, solus Messias est, qui sæpissime ab Isaiâ dicitur datus in fœdus populi, præsertim vero XLII. 6. et XLIX. 8., quem propterea Malachias III. 1. Angelum testamenti seu fœderis appellavit. Tam-

(a) Perperam Bertholdt in Daniele cum reliquis non-messianis interpretibus conatur evincere per משיח quod est Messias Princeps, Principem extraneum designari. Etenim I. Bona (v. 24.) prædicta ubique in prophetis de tempore Messiano dicuntur; si igitur ibi sermo est de rege, qui circa exitum LXIX. hebdom. venturus erat, patet eum paulo ante effusionem bonorum illorum venire debuisse, nec proinde significari præter illorum auctorem. 2. Nexus causalis inter personam et distributionem bonorum indicatur per vocabulum משיח relate ad משיח et קדוש קדוש. Porro per Sanctissimum, Messiam ipsum significari pluribus ostendimus. 5. Quemadmodum משיח non excludit relationem ad Messiam, cum de illo pariter dicatur Is. LV. 44. sicut משיח Is. IX. 6. משיח Mich. V. 4. משיח Ezech. XXXIV. 24. ita nec קדוש, quod se habet ad משיח sicut speciale ad generale, et aperte Messiam respicit. In evertit namque ad hoc ut per משיח designetur princeps theocraticus; cf. I. Reg. X. 1. Nunquam paganus rex ita vocatus qua talis. De Cyro solum Is. XLV. 1. משיח legitur tum ob specialissimas relationes ejus ad theocratiam, tum ob dona a Deo ipsi collata ad Judæorum salutem, tum ob initia cognitionis veri Dei ex suo decreto (cf. lib. II. Paralip. c. ult. Esdr. I. 2.), tum ob typicam relationem ad Christum Messiam. Imo ut rex theocraticus considerari potest, et pro tali sumitur Is. XLV. 1. 3. Ex contextu in quo opponitur משיח משיח משיח משיח; משיח utriusque commune, asi משיח theocraticus משיח extraneus. Atqui a tempore Danielis nemo rex theocraticus juxta Ezech. XXI. 52., ergo unus Messias designatur. 5. Tandem terminus ad quem hujus vaticinii estne Christi nativitas, an ejus publica manifestatio? Hoc posterius conuenimus. Cf. Petav. Doctr. temp. t. XII. c. 53. t. II. p. 264. Jam vero hebdomades LXIX. ut inferius ostendemus, desinunt in Christum. Post LXX. hebdom. opus salutis debet esse completum; usque ad Messiam hebdom. LXIX. qui media LXX. hebdomada extirpabitur. Ergo remanent anni tres cum dimidio. Hinc illud משיח משיח tantumdem valet ac: usque ad publicam manifestationem Messiae. Sane vel ipse Bertholdt p. 565. hæc verba ad Christum proxime referri fatetur scribens: « Si non necessarium absolute attamen valde naturale est, ad hæc verba משיח משיח cogitare de Messia Jesu et de ipsius morte in cruce » Cf. Hengstenb. I. c. p. 460.

igitur Danielis verba, quam adjuncta omnia ipsius oraculi talia sunt, ut sive seorsim spectata sive simul sumpta non nisi ad Messiam referri possint.

Id ipsum mirifice constat ex veteris synagogæ, et antiquiorum Rabinorum sensu et sententia. De synagogæ sententia præter Rabbi Manasse, qui fassus est contribules suos Danielis oraculum ad Messiam referre, et affirmavit præterea ejusdem sententiæ fuisse Judæos omnes, qui sub Tito et Vespasiano arma in Romanos sumpserunt, testis est ipse Josephus qui huc refert Danielis vaticinium ex recepta sua ætate sententia (a). Hinc non alia de causa juxta Rabinos prohibitus fuit Jonathan ben Uziel vulgare suam paraphrasim in Cheduvim sive Hagiographos inter quos accensetur Daniel, quam propter perspicuam determinationem epochæ Messiae, prout perpendit Rasci (b). Rursum Messias juxta eosdem in Berescit rabbà in c. XIV. in Genes. p. 264. debet adducere justitiam seculorum, quinimo ipsemet Messias est justitia sempiterna, et Sanctus Sanctorum, ut fatetur Nachmanides, Moses Geronensis, ac Moses Haddarschan (c), imo R. Mordachai in suo Scemen Amischà Astarà I. fol. 12. fatetur Messiam illum esse, ad cujus adventum perdurant LXX. Danielis hebdomadæ (d). Sive igitur veteris synagogæ sensum, sive præcipuorum antiquorum Rabinorum confessionem spectemus constat Danielis prophetiam ad Messiam spectare.

Quod autem secundo loco posuimus, in eo scilicet vaticinio determinatam esse Messiae epocham, evincitur 1. ex relatione harum LXX. hebdomadarum cum LXX. an-

(a) Arch. I. X. §. c. XI. §. 7. scribit: Δανιήλος καὶ περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὁ ἄνθρωπος ἐρημώθησται. Daniel et de Romanorum imperio scripsit, et magnam ab illis vastitatem illatum iri; nempe rebus nostris. Sed clarius adhuc de Bello I. IV. c. VI. §. 2. ubi de zelotis: Τὴν κατὰ τῆς πατριδος προφητεῖαν τῆσδε ἡξίωσαν ἦν γὰρ δὴ τις παλαιὸς λόγος ἀνδρῶν εὐδαίμονος τὴν πόλιν ἀλώσεσθαι, καὶ καταργηθήσεσθαι τὰ ἅγια νόμος πάλαιον, σάσις ἐὼν κατακλιθή, καὶ χεῖρες οὐκ εἰς προμαχίως τὸ το Θεοῦ τίμενος οἷς οὐκ ἀπιστήσαντες οἱ ἐξηλωταὶ διακίνοους ἐκαστοὺς ἐπέδοσαν. Effecerunt, ut prophetia, quæ adversus patriam fuerat concepta, exitum (suum) sortiretur. Vetus enim virorum sermo quidam erat, tum urbem captum iri, et (loca) sancta conflagratura jure belli, ubi seditio invaserit, et indigenarum manus polluerint sacratum Deo locum. Quibus licet fidem non detraherent Zelotæ, ipsi tamen se carum rerum ministros præbuerunt. Ad quem locum Hudsonus, consentiente Relando, fatetur παλαιὸν illum λόγον ἀνδρῶν esse traditionalem quamdam expositionem vaticinii Danielis IX. 26.

(b) Seder holam in Jalekut Simeoni II. fol. 79. 4. R. Jose dixit: Septuaginta hebdomades post devastationem templi primi intercedunt usque ad devastationem templi secundi. Meghillah fol. 3. 4. Quare prohibitum fuit Jonathæ filio Uziel edere Targum in Hagiographa? Resp. Quia in eo continetur terminus adventus Messiae. Rasci ibi: « Terminus Messiae habetur in libro Danielis. » Reliqua testimonia cf. apud Schoettgenium: op. et I. c. p. 264. seq.

(c) Ibidem.
(d) Apud Berossi op. cit. p. 98. ubi cf. textum R. Mauasses ex lib. De termino vitæ p. 175.

nis quibus Jeremias captivitatem babilonicam prænunciavit, ut constat ex ipso contextu (Dan. IX. 2). Jam vero nemo dicet Jeremiam posuisse an. LXX. pro tempore indeterminato, eadem igitur ratione patet Danielem non potuisse LXX. ann. hebdomadas ponere pro tempore indeterminato. 2. Ex characteribus intrinsicis ipsius prophetiæ, quæ præ se fert chronologicam determinationem. Quorsum enim tempus quod LXX. hebdom. periodo concluditur, in septem hebdomadas, sexaginta duas et unam dividitur, eamque rursus bifidam, nisi de tempore determinato vates ageret? 3. Ex eo quod duo termini aperte significantur, terminus nempe a quo illarum decursus incipere debet, exitus sermonis seu verbi aut decreti reedificationis urbis, et terminus ad quem seu in quem eadem hebdomadæ desinunt, scilicet ante Urbis ac templi excidium. 4. Ex analogia cum ceteris ejusdem prophetæ vaticiniis, etenim cetera tempora pro futuris eventibus a Daniele determinantur, ut c. IV. et XII. 5. Demum ex veterum Judæorum consensu, ut ex modo dictis patet. Ergo.

Restat igitur ut ostendamus vaticinium istud jamdiu esse completum, quod ex prædictis fundamentis facile adstruitur. Ex Danielis prophetia ab exitu sermonis reedificationis Urbis usque ad ejus destructionem hebdomades LXX. annorum effluere debebant, id est, an. 490. atque intra idem spatium tum adventurus erat Messias, tum inungi ac morti tradi debebat, abolenda item erant V. L. sacrificia, complenda visio, delenda iniquitas, et justitia sempiterna adducenda. Atqui ab octodecim seculis tam Urbs quam templum eversa sunt, et abolita sacrificia judaica, seu transactus est terminus ad quem protendebatur epocha a Daniele determinata, ergo et ea completa sunt quæ intra illud temporis spatium eventura erant; nempe tum venit, tum inunctus est Messias, morti traditus est, completa est visio et prophetia, deleta est iniquitas et adducta justitia sempiterna; seu, quod idem est, ex Danielis vaticinio constat jamdiu elapsedam esse epocham futuri Messiae ideoque Messiam jamdiu adventurum esse.

DIFFICULTATES.

I. Obj. Falsum aut saltem incertum est num in hoc Danielis vaticinio sermo sit de Messia. Etenim 1. incertum est num Daniel de uno eodemque Christo, an de duplici loquatur (a); 2. incertum num loquatur de Cyro vel de Antiocho Epiphane, ut contendit Marshamus, vel de Alexandro M. ut cum Bertholdt vult Rosenmüller, aut de Seleuco IV. Philipatore fratre et immediato antecessore Antiochi Epiphane, qui veneno sublatus est: aut etiam de Seleuco II.; 3. Marshami porro expositionem in quam quoad rei substantiam ceterorum recentiorum expositiones conveniunt plura sunt, quæ probabi-

(a) Ita censent interpretes non-messiani qui huc referuntur. Wiener in Parvo Dict. ex tripode pronuntiat: « משיח de Messia nusquam legitur in V. T. »

lem efficiant imo veriore. Scopus prophetae, qui solum anxius erat de futura populi sui, nec non Urbis et templi conditione ac sorte; calculus chronologicus qui nos ad ea tempora perducit; inauguratio Sancti Sanctorum, seu templi, quae sub Juda Machabaeo contigit; templi desolatio, quae perduravit usque ad finem belli; confirmatio pacti cum multis hebdomada una, quae facta est tum per constantiam fidelium Judaeorum, tum per adhaesionem ad Judam Machabaeum; defectio hostiae, sive victimae et farti in medio postremae hebdomadis, quae per id temporis adamussim locum habuit; demum delictio peccati et iniquitatis, seu cessatio poenae peccatis Judaeorum debita, quae quidem poena passim in scripturis peccatum dicitur (a); nec non adductio justitiae sempiternae, nempe legalis, quatenus Judaei numquam posthaec idololatriam crimine se commacularunt vel adductio felicitatis qua fruituri deinceps erant Judaei excusso servitutis jugo. 4. Cum igitur tum chronologia tum adjuncta omnia in tempora Machabaeorum mirifice conspirent, mirum esse non debet si vel ipsi catholici interpretes Harduinus et Calmet in eandem expositionem ad rei summam quod attinet ultro concesserint (b). 5. Quin potius non immerito Bertholdi ac Rosenmüller aliique cum ipsis ex hac conspiratione intulerunt Pseudo-Danielem quempiam, cum vidisset elapsam jam tempus a Jeremia praefixum, quin prophetia de promissa felicitate rerum statu adimpleta fuerit, sibi proposuisse veteris prophetiae honori ita consulere, ut septuaginta illos annos non simpliciter tales, sed totidem annorum hebdomadas intelligendas esse doceret, et omnia vaticinii hujus dicta eventis praeteritis accommodaret (c), ut poetae facere solent. Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. N. Etsi enim Christus seu Messias hic apposite non determinetur, ex contextu tamen et ex oppositione ad extraneum regem de quoniam sermo sit facile patet. Etenim ad finem LXII. hebdomadis venturus (nempe, ut declaravimus, quoad publicam sui manifestationem) dicitur Messias dux seu princeps משיח מלך. Quis ergo alius Messias nisi jam commemoratus excidetur post septem et sexaginta duas hebdomadas? Insuper: mors Messiae ponitur in nexu causali cum excidio Urbis et templi, prout ejus adventus (v. 25.) nectitur cum collatione honorum (v. 24.). Quis porro non videat benedictionem et maledictionem, quum in idem spatium temporis incidant ab eodem auctore repetendam esse? Eo magis quod mors violenta Messiae tum Ps. XXI. 17. tum Is. LIII. 5. et Zach. XII. 10. etc. praenunciatur. Falsum igitur est, incertum esse num de

(a) Cf. Calmet in diss. De septuaginta septimanis Danielis quam praemisit suo commentario in hunc prophetam. Is porro existimat per illa verba: finem accipiat peccatum, etc. alludi ad Jerem. L. 18 seq. ubi sermo est de solutione captivitatis.

(b) Harduinus in Chronologia V. T. Paris 1609. Calmet. Diss. cit.

(c) Ita Rosenmüller in Daniel c. IX. p. 322. Lips. 1832.

uno an de duplici Christo in Danielis prophetia sit sermo (a).

Ad 2. N. Si enim ex modo dictis de uno eodemque Messia loquitur Angelus in hoc vaticinio, qui perhibetur venturus et occidendus, cum nemo ex his morte violenta occubuerit, et quidem illata a populo suo, hoc ipso constat nec de Cyro, nec de Antiocho Epiphane, aut Alexandro M. intelligi vaticinium posse. Multo minus in quemlibet istorum quadrant reliqua vaticinii adjuncta superius commemorata, aut chronologia ut ex dicendis patebit. Id ipsum dicitur de Seleuco II. ac Seleuco IV., quae omnia ex arbitrio, seu gratuito et absque fundamento non dicam solido, sed levissimo constituuntur.

Ad 3. N. Etenim I. ipsi non favet scopus prophetae, quia etsi Daniel ad orandum se contulerit ex lectione prophetiarum Jeremiae, nusquam tamen legitur illum orasse ad restitutionem obtinendam eo praecise anno, quem Jeremias praesignaverat. Oratio ejus versatur circa populi, Urbis et templi restitutionem quin temporis alicubi meminerit. Igitur falsum est quaestionem versari solummodo circa exteriorem restitutionem, ac responsionem esse solummodo de Messia. Oratio praecipue versatur circa remissionem peccatorum obtinendam (v. 19. seqq.). Quum vero haec plenissime juxta omnes prophetas per Messiam praestanda esset, in illa igitur prece jam includebatur oratio pro adventu Messiae, ejusque regni. Responsio autem insuper agit de populo, Urbe ac templo, quae connexa erant cum ipso Messia ejusque fati de quibus Angelus postea disserit. Responsum igitur divinum optime congruit sensui et orationi Danielis (b).

Non II. calculus chronologicus eidem favet. Nam si terminus, a quo fluere incipiunt LXX. Danielis hebdomades, sumi debet a decreto reedificationis Urbis ut patet ex Angeli verbis, hic incidit in an. XX. regni Artaxerxis Longimani (Nehem. II. 1. seqq.). Porro ab an. XX. Artaxerxis numerando an. 483. incidimus in an. 782. Urbis conditae, sive XV. Tiberii Caesaris, id est ad publicam Christi apparitionem (Luc. III. 1. seqq.), ideoque longe excedimus regnum Antiochi Epiphani et alterius cujuscumque ex iis, qui ab

(a) Cf. Hengstenberg op. c. p. 472. seq.

(b) Jahn Appendix hermeneuticae fasc. I. Vienne 1815. p. 125. seqq. contendit post Dathie minime legendum esse שבועים שבועים septuaginta hebdomades, sed שבועים שבועים septuaginta septuaginta anni etc. ac si Angelus vehementiori asseveratione cohaerenter ad fervidas Danielis preces ei dixerit: septuaginta, ita proorsus, septuaginta anni decurrunt, seu deproperant, id est vergunt ad finem etc. ellipsin anni שבועים ex versu secundo supplendo. Verum plura sunt, quae arbitriam hanc Jahnii lectionem evertunt. 1. Quia omnes codices, nullo excepto, legunt שבועים hebdomades, imo Kennicottius tresdecim recenset, qui plene habent, שבועים, Derossi quinque alios addidit, qui integram lectionem retinent. Cf. De-Rossi variae lectiones V. T. Parmae 1788, vol. IV. p. 145. 2. Quia veteres omnes versiones in eadem lectione consentiunt, cf. Bibl. Waltoniana in h. l. 3. Quia seriores Hebraei aequae ac recentiores eandem lectionem tenent.

adversariis assignantur, principibus (a), vel terminus in quem desinit vaticinium.

Nec favet III. inauguratio Templi; 1. quia non agit in vaticinio, ut sumunt adversarii de inauguratione, sed de unctione, porro certum est ex constanti Judaeorum traditione numquam templum secundum inunctum fuisse, prout legitur de tabernaculo Ex. XXX. 22. seq., neque sub Zorobabel, neque Juda Machabaeo (b); 2. quia, ut animadvertimus, hic non agit de templo materiali, sed de persona, ut evincunt veteres versiones et Rabbiorum antiquiorum expositio et contextus; 3. quia in adversariorum hypothesis ex vaticinio haec unctio contigisset post an. 490. at v. 27. hoc tempore praedicitur destruendum, non autem inaugurandum esse templum; 4. quia non congruit chronologia, ut ex dictis patet.

Non suffragatur IV templi desolatio qualem adversarii autumant; etenim 1. sub Syris nulla contigit templi Urbisque vastatio, sed templi profanatio tantum facta est, Daniel autem loquitur de vastatione proprie dicta (inundatio בשריף in inundatione, imagine deducta ab expeditione bellica terram inundante); 2. loquitur praeterea de vastatione de qua sub finem v. 25. dicitur quod futura sit decreta et irrevocabilis; hinc sicut per Dei decretum irrevocabile Urbs ac templum ruinis sepulta fore praedicitur v. 26. sic hic v. 27. praenunciatur per decretum aequae irrevocabile perpetuis ruinis utraque fore sepelienda; 3. quia ex dictis falso ac gratis assumunt adversarii templi desolationem usque

(a) Cf. Petavium De doctrina temp. lib. XII. c. XXXII. ed. Antwerp. 1705. vol. II. p. 262. seqq.

(b) Qui ea, quae enumerantur v. 24., referunt ad tempus, quod immediate subsequutum est captivitatis babilonicae solutionem, ut Michaelis et Jahn, haec verba transferunt ad inaugurationem templi reedificati a Zorobabel et Josua; qui vero referunt ad tempus post oppressionem per Antiochum Epiphaneum, haec dicta transferunt ad novam inaugurationem templi a Syris profanati. Utrique debent sumere בשריף in sensu improprio inaugurari, cum in neutro casu templum inunctum fuerit, et ex concordia Judaeorum traditione secundo templo defuerit sacrum oleum. Sed obstat ejusmodi expositionibus 1. quod קדש קדשים numquam de templo materiali dicitur (hoc enim semper cum articulo קדש קדשים effertur II. Paralip. III. 8. Ex. XXVI. 33. III. Reg. VI. 16.) sed de aliis rebus sacratissimis, ut altari, sacrificiis, suppellectili etc. V. Concordant. Buxtorffii, et cf. Ez. XLI. 4. cum XLIII. 12. XLV. 3. (I. Paral. XXIII. 15. debet explicari cum Clerico: quidquid sacrosanctum erat). 2. Externa inauguratio templi materialis non quadrat contextui in quo promittuntur dona Dei spiritualia, quae referuntur ad extirpationem peccatorum et messianum characterem habent; hinc debet in propheta finem religiose oppressionis et initium regni Messiani connectente aliquid sublimius perspicere. 3. Si de nova inauguratione sermo esset, non intelligitur quae sit causa cur verba quae non totum templum, sed solum Sancta Sanctorum exprimit propheta usurpaverit. Hoc pensavit Bertholdi p. 631. atque ut ab ea difficultate sese expediret in exemplum adduxit quod legitur II. Mach. V. 15. sed perperam; quia etsi קדש קדש per se sit relativum, de templo tamen usurpatum, solum indicat Sancta Sanctorum: cf. Hengstenberg Christol. I. c. p. 459. seqq.

ad finem belli tantum, seu septuagesima hebdomadis fore duraturam, cum agatur de vastatione perpetua (a).

Neque cohaeret quod V. subditur de pacto cum Deo inito vel per constantiam fidelium Judaeorum, vel per adhaesionem Judae Machabaeo; ex articulo enim praefixo voci multis indicatur illos multos de quibus agit, determinatos esse ex genere aliquo, scilicet illi sunt qui erant objectum divinarum promissionum, fideles nempe ex Judaeis, ut patet ex occasione hujus visionis (b); agit propterea de foedere ineundo per Messiam ibi promissum cum populo fideli (c).

Sed non magis proficiunt adversarii ex eo quod VI. addunt de hostiae seu victimae ac sacrificiorum defectione, siquidem tempore Antiochi non contigit haec defectio nisi partialis, in vaticinio autem agit de defectione totali ac perpetua, quae connectitur cum templi ac Urbis vastatione (d), et connectitur praeterea cum morte Messiae, cuius quidem mortis consecrarium ponitur sacrificiorum defectio.

Demum causam adversariorum non sustentat quod postremo loco ponitur de peccatorum poena, justitia legali, aut felicitate seu libertate obtinenda; agit enim de peccatis ipsis ac de justitia proprie dicta tanquam munere seu dono afferendo ab ipso Messia, qui est totius vaticinii primum objectum, a quo peccata vere erant defendenda, et inducenda justitia, quae sequitur peccatorum remissionem juxta illud Is. LIII. 10. 11. Peccata praeterea conferuntur cum iniquitate et cum culpa חטאת quae est significatio fundamentalis hujus vocis; contextus praeterea aper-

(a) In illo stillabit seu fundetur, pluet v. 27. habetur pro typo fundamentalis destructio Sodomae et Gomorrhae. בשריף usurpatur de pluvia naturali II. Reg. XXI. 10. Ex. IX. 35. de supernaturali Gen. XIX. 24. hinc ad impios transfertur imago haec Ps. X. 6. Ez. XXXVIII. 22. II. Paral. XXXIV. 21. Jerem. VII. 20. etc. Haec expressio semper totalem ruinam indicat; hinc impossibile est eam aptari temporis Machabaeorum. Cf. Jahn in Append. fasc. I. p. 164. Hengstenberg p. 155. seqq.

(b) Cf. Compeg. Vitringa Observationum sacrarum lib. III. Franquerae 1691. T. II. p. 257. seq.

(c) Nempe cum illis, qui sunt objectum divinarum promissionum.

(d) Cf. superius dicta. Hic praeterea animadvertendum ejusmodi sacrificiorum ablationem sub duplici respectu spectari posse, prout scilicet est beneficium, ac prout poena est. Quatenus est beneficium, cessavit cultus leviticus, utpote figura quae locum cederet figurato. Quatenus poena spectatur, est poena partis infidelis populi qui mortem intulit Messiae. Messiae porro mortem ablationis sacrificii causam esse ex contextu patet, perinde ac destructionis templi. Quod si ablatio sacrificiorum sive cultus leviticus est effectus mortis Messiae plane consequitur non agi de nudo facto sed de abrogatione legitima. Jam foedus antiquum per mortem filii Dei abrogatum est, ergo et cultus sacrificii ejusdem foederis Jehovah quoad suam esse; parum interest quamdiu adhuc perduraverit quoad actionem externam. Idem dic de externa eversione urbis et templi; ex repudio enim et morte Messiae neque Urbs amplius sancta, neque templum amplius domus Dei sed abominatio evaserat. Cf. Zach. XI. vid. Hengstenberg op. c. p. 492. seqq.